

genu constituto , delictum fatenti , auctores vero neganti , ea conditione ab Antistite data venia est , ut , si quos delicti vel auctores vel consciens sciret , eosque non pronunciaret , sine peccatorum expiatione ex hac vita migraret . Manus in favillas redacta : reliqua ex Parisiensis Senatus decreto præter corporis incendium peracta : populus in rabiem versus , atque innoxium frendens , quo minus ejus reliquias per vias & compita urbis raptaret , cohiberi non potuit .

Hic Henrici IIII. Galliarum ac Navarræ Regis , exitus fuit ; viri sane virtute , fortitudine , prudentia , clementia incomparabilis ; cujus vitæ cursus per varios humanarum rerum casus traductus , illum bello invictum , paceque florentem reddidit : siquidem laborum , vigiliæ , frigoris , æstusque patiens , fortissimi militis sæpius partes egit : ingenio , constantia , rei militaris scientia excellens , præstantissimi imperatoris munera obiit : nemo illo exactius ac solertius castris locum capere , commeatus expedire , nemo prudentius prælii tempus eligere , instruere aciem , subsidiis firmare , ab insidiis præcavere : ut mirum non sit , si toties vel munitissima oppida urbesque ex pugnarit , vel in acie vicerit , pacatoque demum civilibus dissidiis Galliæ regno , pristinum splendorem decusque restituerit , artibus belli ac pacis florentissimum reddiderit ; magis magisque procul dubio aucturus , ni immaturo atque crudeli fato sublatus fuisset . Eo enim tempore ex humanis excessit , quo ingentium rerum orsus moliebatur , Jam enim exercitum comparaverat , foederatos sibi potentissimos adjunxerat , ut rapidi torrentis instar nullos obices habiturus videretur . Trepidabant Menapii , nutabat Belgium , Italia belli eventus circumspectabat ; neque Hispanis adhuc tantum roboris ac virium erat , ut oblistere ingruenti possent . Eam quandoquidem tempestatem nactus Henricus erat , qua Europæ Principes fere omnes a militari gloria alieni , per duces bella administrabant : nemo in aciem prodire , nemo imperatoris munere fungi , nemo ad martiale decus anhelare . Quinimmo a plerisque existimabatur , Henricum , Menapiis subjectis , Allobrogum copiis fultum , si in Italiam descenderet , haud difficulter in suam potestatem redigere , atque hujus provinciæ statum immutare posse : cum præsertim non deessent ,

*Henri-  
ci Regis clo-  
gium.*

qui